



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 82. Leopoldi I. Cæsaris obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

ad beneficia ab Augusto Saxoniae Electore factas deinceps minime admitteret. Sæc. XVII. A. C. 1705.  
 Econtrario Augustus Poloniarum Rex Dresdam delatus, Tikoezimo cum Moscoviarum Duce novum foedus sancivit, vi-  
 cujus hic copiarum auriq[ue] subsidia Polono largiter pollicitus, Religionis Catholicarum exercitium in Moscovia, & Capuccinorum Conventum erigi indul-  
 sult.

§. LXXXII.

*Leopoldi I. Caesaris obitus.*

Funestissimus fluxerat hic annus Do-  
 mui Austriacæ, totique Imperio morte Leopoldi Imperatoris. Hic jam  
 anno priori adversa usus valetudine, die  
 decima septima Aprilis hoc anno plena  
 virium dejectione correptus est, cum-  
 que medicamentis nil profici, viresque  
 velut in horas fugere sentiret, Josepho  
 Filio suo supremam rerum administra-  
 tionem commendavit, Imperatrici vero  
 Eleonoræ ultimum valedixit. Postre-  
 mis hisce officiis defunctus, ne sibi-  
 metipsi, neve salutis suæ rationibus  
 deesset, expiatis a prima juventute con-  
 scientiæ maculis, die prima Maji Sacro  
 Viatico & unctione ad luctam supre-  
 mam munitus est, postea solitas Ec-  
 clesiæ

*Wagner  
 Hist. Leop.  
 l. 18. p. 789  
 Hode Hist.  
 Lud. XIV.  
 lib. 57.  
 Mem. Hist.  
 & Chron.  
 Thoyras  
 cont. Hist.  
 d'Ang. t. 12.  
 pag. 38.*



Sæc. XVII. clesie preces, piaque suspiria suggestentis Nuntii Apostolici verbis ad ly-  
labam velut integris sensibus inhæsit, ac sæpe imaginem Christi cruci affixi Ferdinandi II. memoria celebrem complexatus, *A Te, inquit, sceptrum & coronam recepi, utrumque ad pedes tuos lubens depono, neque deinceps Majestatis titulo compellari sustinuit.* Demum die quinta Maij voce moritura, articolata tamen cum moriente Salvatore dixit: *Consummatum est, in manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Hæc verba mox internecinum totius halius silentium excepit: In hunc igitur modum Leopoldus Imperator vere Magnus diem supremum explevit anno ætatis sexagesimo quarto, Mensibus decem diebus sex & viginti, Romani Imperii quadragesimo septimo, Regni Hungarici quinquagesimo, Bohemici quadragesimo nono.

Copia virtutum, quibus Leopoldus eminuit, ferme inopes reddidit magni hujus Cæsaris Panegyristes: nobis dixisse sufficiat, quod etiam apud capitales suos hostes Princeps religionis pietate, ceterisque optimi Monarchæ dotibus ubertim exornatus audiat, et que in vastis etiam Armeniæ Regibus ejus nomini rebusque secundis effudit applausum sit, ipso etiam Ludovico XIV. Galliarum



Galliarum Rege sæpius dicente, se non tam arma Leopoldi, quam ejus miracula timere. Tanto flagrabat Religionis Catholicæ studio, ut ante sui electionem Protestantibus varia in suæ sectæ incrementum postulantibus responderit, se nullum omnino totius orbis imperium cum minimo rei Catholicæ damno empturum: eodem fidei ardore Hungaros ampliores libertatem petentes repulit, asserens, malle se egentem; nudumque de throno in exilium mortemque ire, quam ut se regnante tantillum detrimenti caperet religio. Eminuit præterea singulari erga B. V. pietate, quam Oetingæ, Viennæ ac Manerstorffii in Sacra Eremita PP. Carmelitarum Discalceatorum sæpe veneratus, vota sua his verbis signabat: *Ego peccatorum maximus, creatura infima, vilis & indignus D. Virginis Servus Leopoldus*, Denique intemeratæ justitiæ, morum castimonie, moderationis, æquanimitatis, munificentie, magnanimitatis, morumque castimonie laudes omnis ei Europa summo consensu tribuit. Lugent præcipue hunc Cæsarem eruditi, quorum liberalis amator, censor æquissimus & sagacissimus æstimator erat, cumque ipsemet non modo linguas Germanicam, latinam, Italicam, Hispanam & Gallicam apprime calle-

Sæc. XVII.  
A. C. 1705.



Sæc. XVII. ret, sed etiam, omni disciplinarum genere a primo juventutis suæ flore ingenium haberet excultum, ad rei literariæ augmentum commodumque Viennæ rarissimum Bibliothecæ apparatus, Olmuci, Oeniponti & Wratislaviæ Academias erexit. Nihilominus Scriptorum Galli Leopoldo crimini dabant, quod Jacobo II, Angliæ Regi Catholico contra seditiosos opem ferre neglexerit, & suorum consiliis sese regi passus fuerit, necnon Anno 1683. justo indulgentiarum Hungaris Sectariis Tempora & Gymnasia tribuisset, atque a Colonisio Cardinale ac Jesuitis deceptus, Prædicantes exilio aliisque pœnis subiecisset. Verum hi Scriptorum in memoriam revocare debuissent, quod pariter Franciæ Reges ad stabiliendam foederati Belgii Rempubliam, ad Germaniæ Protestantem in sua secta per pacem Osnabrugensem firmandam, & ad Hungariæ Sectarios potentia augendos omnes vires suas contulerint, sique tantum Gallorum quam Leopoldi interfuisset ad exauertorandum Jacobum II. absdubio omnem illum adhibuissent conatum, quem tempore Cronwelli in excidium Caroli I. impenderunt: Quam gravi autem bello tum Leopoldus a Gallis pressus erat, nullus ignorat; Gallicarum quoque reunionum motus,

am



amplissima subsidia Hungaris Protestan-  
 tibus suppeditata, Turcici belli pro-  
 pinquitas, ac funestorum temporum  
 iniquitas majoribus malis, ac præsen-  
 taneo totius Domus Austriacæ excidio  
 adeo triste remedium a Leopoldo ex-  
 torfere. Defuisset autem Imperator  
 Religionis ac justitiæ officii, si Prædi-  
 cantes, hominesque sceleratos, per-  
 duelles, legum pactorumque violato-  
 res, rebellionum concitatores, & ini-  
 quos Catholicorum oppressores diutius  
 noxia indulgentia, ac impunitate to-  
 lerasset.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1705.

§. LXXXIII.

*Urbani Saccheti Cardinalis ex-  
 tremæ.*

Leopoldi Cæsaris mortem præcesserat  
 obitus Urbani Saccheti, qui ex no-  
 bilissima Florentinorum prosapia ortus,  
 ac Romæ natus, a Julio Cardinale ejus  
 Patruo ad virtutum ac literarum exer-  
 citia strenue incitabatur, unde ab eo in  
 Franciam, Belgium, Germaniam &  
 Italiam missus amplissima eruditionum  
 penu locupletatus, Pisas concessit, ubi  
 summos in Jurisprudentia tam sacra  
 quam civili honores cum laude affecu-  
 tus, Romam reversus est, atque ab  
 Alexandro VII. Papa utriusque Signa-  
 turæ

*Vit. Card.  
 pag. 58.*